Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

se habet noster intellectus ad manifestissime
nature constat nos circa minima intelligendo
deficere et quasi ad omnia cecos esse. Et si sic ceci
sumus ad nature manifestissima quales sumus
ad nature secretissima. Et si tales ad manifestissima
quales esse possumus ad occultissima increata. Unde
et Salomon ille inclitus hominum sapientissimus omnium-
que philosophorum sapientissimus ita ait: Cuncte res dif-
ficiles nec potest eas homo explicare sermone.
Et si sermone non possunt explicari sermone terrena
quomodo poterunt enarrare divina maxime cum dicatur
de causa prima libro de causis quod sit superior omni
narratione et quod deficiunt lingue a narratione eius
propter magnitudinem esse ipsius. Item audit sapientis-
simus Rex ille se de omnibus rebus subtiliter investi-
gasse et hoc solum dicit se invenisse quod omnium operum
dei nullam possit homo invenire rationem eorum que
sub sole geruntur. Et si ratiocinando deficimus circa
ea que sub sole sunt. Quid sumus ad ea que super
solem nobis abscondita sunt. Si ergo sic dicit
faciemus
philosophus sapientissimus. Si sic ei concordat virorum doc-
tissimus nos quid faciemus qui penitus nulli sumus
Si igitur sic omnino deficimus circa hec bona terrena
in numero creata pondere et mensura. Quid faciemus
dum querimus increata que sunt simpliciter infi-
nita et sic intellectu nullomodo possunt esse conclusa.
Homine stultus omni iudicio esset qui totam terram
suo pugillo concludere vellet. Quid si de ma-
ri de toto aere sive igne immo de celo sive post
toto mundo hoc facere vellet nunquid stultissimus
esset. Demonstrat enim Geometer ad sensum quod
continens maius est quam contentum sicut apparet in
speris elementorum et circulis planetarum. Et licet
ita sit mundus tamen hic omnis in infinitum pugillum
hominis non excedit cum uterque in mensura creatus
sit. Constat igitur illum esse stultissimum ex parte